AUTHOR:

HERTZ, MARTIN

TITLE:

MARTINI HERTZ ANALECTA AD...

PLACE:

[BRESLAU]

DATE:

[1878]

Master Negative #

93-81613-8

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Hertz, Martin, 1818-1895.
...Martini Hertz Analecta ad Carminum Horatianorum historiam, II. [Breslau], typis Officinae universitatis, [1878]
25 p. 26 cm.

At head of title: Index scholarum in Universitate litterarum Vratislaviensi per aestatem anni MDCCCLXXVIII...

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 14X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 7/27/93 INITIALS BAP
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

INDEX SCHOLARUM

IN

UNIVERSITATE LITTERARUM VRATISLAVIENSI

PER AESTATEM ANNI MDCCCLXXVIII

A DIE XXIX MENSIS APRILIS

HABENDARUM.

PRAEMISSA SUNT

MARTINI HERTZ ANALECTA AD CARMINUM HORATIANORUM HISTORIAM. II.

TYPIS OFFICINAE UNIVERSITATIS (W. FRIEDRICH).

1878

Commentatione hac quae de studiis in Horatio positis ante hos duos annos disputavi continuaturo in ipso opusculi limine repetenda mihi esse videntur, quae prioris fasciculi[1]) pag. 5 et 7 et 11 adnotavi, has dissertationes a me ita institutas esse, ut commilitonibus ornatissimis potissimum indicarem, quid in hac materia praestitum, quid praestandum iis relictum esset, ex penu mea passim quae in promptu haberem additis; paulo vero accuratius ea tantum esse significata, quibus non modo a poetis, sed a scriptoribus cuiusvis fere generis opera Horatiana lectitata et discerpta esse pateret, eo plerumque consilio, ut frustula inde deprompta iis quae ipsi scripsissent immiscendo aliquam doctrinae speciem prae se ferrent lectoribusque aeque doctis litterariam aliquam titillationem, quo verbo uti mihi licere arbitrabar, procurarent; ex multis autem quae huc pertinerent quaestionibus unam tantum alteramve

---

[1]) Pauca ad commentationem illam pertinentia h. l. aut emendare aut addere liceat. De iis quae inter Horatium et Vergilium obtinent rationibus saepius quasi praeteriens verba fecit Hofman-Peerlkamp, veluti in adnotationibus ad a. p. p. 126; 162; 180. Doleo equidem quod, cum iusto tempore haec folia typographo tradenda essent, nec Hofmani nec Bentleii notas omnes accurate relegere potui. Nec in hac thematis amplissimi adumbratione satis leviter et quasi in transitu instituta omnes auctores, quorum mentio inicienda esset, ea qua decet cura in hunc finem iterum a me pertractatos esse vix est quod moneam. Sed ut iam ad propositum redeam, dictis Horatio male adscriptis, quae p. 8 composita sunt, addita nuper sunt ea, quae Schol. ad Ovid. Ibim v. 347 affert 'quia Diomedes in bello Troiano Venerem violavit; Venus uxorem eius Aegialeam pudicam fecit meretricem, ut ait Horatius' a Rud. Ehwald de schol. qui est ad Ov. Ib. comm. (Goth. 1876) p. 7, qui frustra ea in Horatio quaeri adnotat. At spectari videntur sat. lib. II quintae v. 75 sqq. "scortator erit: cave te roget; ultro Penelopam facilis potiori trade'. putasne Perduci poterit tam frugi tamque pudica, Quam nequiere proci recto depellere cursu? 'Venit enim magnum donandi parca iuventus Nec tantum Veneris quantum studiosa culinae. Sic tibi Penelope frugi est, quae si semel uno De sene gustarit tecum partita lucellum, Ut canis a corio nunquam absterrebitur uncto". Apud Servium porro ad Aen. V 467 in libris mss. Horatio tribuitur Terentiani Mauri de syllabis v. 1010 'Nec tanta in pedibus ('metris' Serv.) venia conceditur uti' cf. Burm. ad Serv. l. l. adnot. Quodsi carmen anthologiae Latinae 26 R., quod in Salmasiano libro Martiali tribuitur, in novicio aliquo codice Vindobonensi una cum carmine 682, Ovidio ab aliis tributo, Horatii nomine inscriptum est teste Rud. Peiper mus. phil. XXXI 186, 2, hoc etiam nihili esse non est quod exponam. Praeterea corrigantur hi calami typothetaeve errores, partim ab A. Th. H. Fritzsche indicati in relationibus annuis a Conr. Bursian editis (a. 1876 II p. 217) : p. 6 lin. 11 leg. 'aeque' pro 'atque'; p. 14, 1 lin. 7 leg. 'ecl.' pro 'ed.'; ibid. lin. 13 Ausonius; p. 15 lin. extr. 'a. fere u. 725', quod illius loci rationes exigebant, non '729' scripturus fui ac doleo quod quae imprudenti mihi exciderunt a viro quodam perdocto suo sane iure prolata vidi; p. 17 lin. 11 leg. 'esse'; lin. 23 'iudicandum'; lin. 25 'sextum decimum' pro 'sextum'.

a me delibatam esse, vel ibi partim, ut commilitonum studia excitarem, *ἀπορίας* potius quam *λύσεις* propositurο. Significaturus autem apud quosnam poetas scriptoresve aequales vestigia lectionis Horatianae extarent, in uno fere Vergilio tum substiti, fusius de eo locutus quam ab initio in animo fuerat, ita tamen, ut hanc quoque materiam satis implicatam delinearem potius quam absolverem. Addere his poteram pauca, quae ad auctorem culicis spectant, sane ea omnibus numeris incerta; nam neque huius carminis relatio, ut praeeunte fere Quintiliano ita loqui et hic et infra liceat, ad Horatium in iis locis, qui afferuntur (cul. v. 27 sqq.: Hor. c. II 12, 1 sqq.[1]); cul. 97: Hor. epp. I 18, 97 KH.) perspicua est atque indubitata nec, si agnoscitur, adseverari potest, utrum Vergilii pueri Horatius an pedisequus Vergilii fere aequalis Horatii rationem habuerit.

Iam antequam ad eos huius aevi poetas transeamus, apud quos indubitata lectionis Horatianae testimonia extare indicavi comm. prioris p. 12, videamus, num recte scriptor eiusdem aetatis primarius in horum testium numerum relatus sit. T. Livius, si recte annus eius natalis ab Hieronymo traditur[2]), Horatio sexennio iunior fuit, sed per viginti fere quinque annos ei superstes. Amplius quadraginta annos libris ab urbe condita scribendis intentus[3]), iam cum primum librum anno fere 26 a. C. n. componeret epodos et saturas Horatii nosse poterat, ne de odis loquar ante hoc tempus compositis necdum in publicum editis, quas et ipsas in amicorum, probabiliter etiam in coetus hominum litteratorum paulo amplioris notitiam ante editionem pervenisse non est quod negemus; procedente autem opera omnes Horatii libros ei, Augusti et ipsi familiari, innotuisse probabile est. At huius notitiae vestigia me quidem iudice frustra a viris doctis per libros annalium hodie quoque superstites quaesita sunt; imprimis ea omnia fere, quae Paldamus congessit[4]), ita comparata sunt, ut generalis quidem alicuius stili, ut ita dicam, cognationis, quam inter Livium atque eiusdem aetatis poetas intercedere in vulgus notum est, indicia praebeant, relatio vero directa inter Livium atque Horatium inde deduci nequeat. Nam, ut ea inde delibem, quae vel maxime in censum venire possint, vix crediderim, Livium M. Manlii res (a. a. C. n. 384) enarrantem cum M. Menenium et Q. Publilium tribunos plebis dicentes faceret (VI 19, 2) 'quid cum plebe adgredimur eum, quem per ipsam plebem tutius adgredi est, ut suis ipse oneratus viribus ruat?' Horatiani versus (epod. 16, 2) 'Suis et ipsa Roma viribus ruit' memorem fuisse[5]); quod quamvis praefracte negari nequeat, Livius, si tum sane ille versus ei notus erat, multo

---

[1]) V. Heynemann de interpol. in carm. Hor. p. 64 sq.

[2]) Quod non ita certum esse propter M. Valerii Messallae natales eidem anno 59 a. C. n. perperam ibidem assignatos monui ed. Liv. t. I p. VI.

[3]) V. l. modo l. p. IX sq.; Weissenbornium ed. Liv. Lips.[2] p. XI sq.; ed. Berol.[5] p. 11 sqq.

[4]) De imitatione Horatii p. 12 sq.

[5]) Similiter Liv. XXX 44, 8, Horatii certe non memor, 'ut praevalida corpora ab externis causis tuta videntur, sed suis ipsa viribus onerantur'; cum Horatiano loco comparari possunt et comparati sunt eiusdem poetae c. III 4 v. 65 'Vis consili expers mole ruit sua' et ab hac dicendi ratione paulo magis recedentes epod. 7 v. 9 sq. 'Sed ut secundum vota Parthorum sua Haec urbs periret dextera'.

magis eius memoriam revocasset praefationis § 4, ubi ipsam rem populi Romani eo crevisse dicit, ut iam magnitudine laboret sua, et 'haec nova' profert, 'quibus iam pridem praevalentis populi vires se ipsae conficiunt'. Multo autem minus Horatii certe memor fuit lib. XXXI 18, 7 in scribendis verbis 'seque ipsos per omnes vias leti interficerent'. Nam, si omnino aliunde haec hausta esse censebimus, eadem mortis significatione itemque plurali numero iam Lucretius, Livio philosopho sane non ignotus, usus erat (II 917 Lm.) 'Et leti vitare vias' dicens, cuius Horatius more suo non immemor fuerit, cum in notissimo illo carmine I 28, 15 sq. haec poneret: 'sed omnes una manet nox Et calcanda semel via leti'; ipsa autem haec sententia, ut id in transcursu addam, neque ex Telepho Aeschylea, nec, quae Th. Arnold[1]) sententia fuit, ex Platonis Phaedone p. 108 A., ubi versus ille Aeschyleus affertur, petita est; non enim omnino idem est '*ἁπλῆ γὰρ οἶμος εἰς Ἅιδου φέρει*'[2]) atque id quod Horatius h. l. innuit; dictionem vero 'viae (via) leti' sive a Lucretio sive ab eo, qui ante Lucretium ea usus sit, a Graecis petitam esse sane probabile esse censeo. Praeterea ab editoribus Horatii cum epp. II 1 v. 156 sq. 'Graecia capta ferum victorem cepit et artes Intulit agresti Latio' confertur locus ex oratione Catonis maioris consulis de lege Oppia non abroganda a. a. C. n. 195 habita apud Liv. XXXIV 4, 3 'haec ego, quo melior laetiorque in dies fortuna reip. est imperiumque crescit — et iam in Graeciam Asiamque transscendimus omnibus libidinum inlecebris repletas et regias etiam adtrectamus gazas —, eo plus horreo, ne illae magis res nos ceperint quam nos illas.'

At hoc quoque magnis dubitationibus est obnoxium. Nam primum, etiamsi alter locus ex altero penderet, in incerto fere relinquendum esset, uter auctor alterum exscripsisset: nam de temporum rationibus nihil proferri potest, nisi Horatii epistulam post carmen saeculare i. e. post annum a. C. n. 17 videri compositam esse propter v. 132 sq., Livii autem lib. XXVIII scriptum esse post a. 19. Tum autem nec de eadem re ab utroque dicitur neque iisdem verbis; ipsa autem sententia ita comparata est, ut facile uterque in eam incidere potuerit, nisi potius, quod in simili re demonstravi fasciculi prioris p. 12, uterque Catonianum aliquod dictum respexit, a Livio ad eandem, ab Horatio ad aliam, sed similem causam relatum; nam re vera a Catone consule orationem de lege Oppia non abroganda habitam esse, quae Livio l. l. c. 2 sqq. eam, ut verbo novicio utar, reproducenti nota esse sane potuit, equidem vix negarim nimisque caute in ea re diiudicanda versatus mihi esse videtur H. Jordan M. Cat. quae extant p. LX[3]), ipse in reprehensionem propterea se incursurum esse non nescius. Ipsum Horatium de eadem re disserens omnibus consentientibus ante oculos habuit Ovidius fast. III 101 sq. 'Nondum tradiderat victas victoribus artes Graecia' eademque dicendi figura, quod nec alios fugit, utitur L. Seneca de vita beata c. 14 'ita habentes ('habenti' Bentleius) magnas

---

[1]) Abh. üb. d. griech. Studien des Horaz II 28.

[2]) Cf. modo praeter Platonem l. l. locos Dionysii Halicarnassensis et Clementis Alexandrini ab editoribus, velut ab Aug. Nauckio (Trag. Gr. fr. p. 60), ad hoc Aesch. fr. (235 N.) adscriptos.

[3]) Cf. eund. quaest. Catonianar. p. 13 sqq.; ann. phil. 73, 390.

voluptates in magnum malum evasere captaeque cepere', ubi praecessit 'ceterum non ipsi voluptatem, sed ipsas voluptas habet'. Vix igitur cum aliqua probabilitate T. Livium inter Horatii imitatores referre licebit.

Iam ut ad poetas redeamus, Horatium et Tibullum familiaritatis vinculo inter se coniunctos esse in vulgus ex Horatii carm. I 33 et epist. I 4 notum est. At certa vestigia mutuae alicuius in carminibus utriusque relationis desunt. Quorum quae olim tanquam indicia imitationis Tibullianae a viris doctis allata erant recte ac simpliciter refutavit Meierotto (de rebus ad auctores quosdam class. pertinentibus dubia, Berol. a. 1785, p. 142 sq.). Epodum porro secundum Horatianum iocosae fere poesis Tibullianae parodiae ab Horatio institutae documentum esse voluit Gruppius libri de elegia Romana conscripti vol. I p. 261 sqq.; quod cum rationibus chronologicis a se ipso in Tibullo, a Frankio in Horatio constitutis non respondere monuerit Carolus Lachmann in ep. ad C. Frankium (Frankii fast. Hor. p. 236), nemo, opinor, rem ita invertet, ut disiecta illius epodi membra apud Tibullum quaerat. Restat unus versus panegyrici ad Messallam a. 31 a. C. n. scripti (139) 'Nec fera Theraeo tellus obsessa colono', quem cum Hor. carm. II 6, 5 'Tibur Argeo positum colono' componere quis possit; atqui hic quoque mutuae alicuius relationis indicia desidero, si vero adessent, Horatius secundum probabiles certe Frankii, quibus fere obtemperandum esse censeo, rationes ad panegyricum attendisse animum dicendus esset[1]). Neque id satis constare mihi videtur in re trita ac vix aliter exprimenda, Lygdami el. 4 v. 10 'Farre pio placant ac saliente sale' ad Hor. c. III 23 extremam stropham referendum esse cum Luc. Müller praef. ad ed. Hor. a. 1869 p. XXXIII, qui etiam quod Ovidius identidem eadem fere dictione usus est ad Horatii locum refert. Neque locos illos Ovidii de huius poetae studiis Horatianis disputans adhibuit A. Zingerle.

A Propertio contra Horatii rationem habitam esse, non est quod negemus post ea, quae et Meierotto composuit l. c. p. 143 sq. et Teuffel Hist. litt. Rom.[3] § 246, 2 (cf. etiam O. Kelleri ad epod. 16, 2 adn.), quamvis his omnibus non eandem persuasionis vim inesse negari nequeat[2]); sed cum ipsa res imprimis exemplis a Teuffelio allatis indubitata sit, nolo in singulis rimandis morari vobisque, commilitones, dubitandi rationes, quas contra locos a se ipso propositos attulit Meierotto[3]), accuratius examinandas relinquo. Id unum addo, multo maiorem locorum comparandorum partem ad odas epodosque Horatii pertinere.

Nec minus Ovidius notissimo illo loco, ubi eximiorum aevi Augustei vatum coetum describit, in quem aditus sibi concessus fuerit, Horatii tanquam lyrici poetae mentionem facit

---

[1]) Similiter, ut iam ab aliis adnotatum est, et Petronius carminis cap. 5 inserti v. 10 'Seu Lacedaemonio tellus habitata colono' et L. Seneca epigr. I (t. I p. 261 Hse; A. L. 236 R.) v. 1 'Corsica Phocaico tellus habitata colono', quorum inter se nexus multo magis indubitatus est (cf. Fr. Haase miscell. phil. lib. III p. 21; E. Gotschlich in comm. in Haasii honorem a. 1863 a soc. Lat. Vratisl. editarum p. 26 sqq.).

[2]) Quam extremo loco posuit Meierotto, Prop. IV (nunc vg. V) 7 v. 83 cum Hor. carm. IV 5 v. 38 comparatio quo pertineat non video; typographi error videtur subesse.

[3]) Quae ibi de Maecenate dicit, iis temporum illorum sensum ac iudicium non recte aestimari videbitis.

(trist. IV 10, 49 sq.); omitti contra Horatium in eorum poetarum enumeratione, quos puellis imprimis notos esse vult, art. am. III 229 sqq. negari quidem nequit, sed explicatione non caret; quodsi Teuffelius l. l. § 219 p. 438, 5 eiusdem carminis Ovidiani lib. II versus 271 sq. adversus Horatii serm. II 5 v. 10 sqq. conscriptos esse censet, non satis observasse mihi videtur vir eruditissimus, ea, quae ibi Tiresias proferat, ab ipso poeta non minus improbari quam ab Ovidio atque id tam manifesto, ut is ea de re dubitare nequiverit[1]). Facete illius loci in versibus proxime praecedentibus memorem fuisse Ovidium atque inde colores desumpsisse, non est quod negemus, cum inter omnes poetas nemo fere tam constanter Horatium referat; hic tamen locus ita comparatus est, ut is, qui de ipsa hac re diligentissime scripsit, A. Zingerle in libello ad ipsum Teuffelium dato eius rationem non habuerit. Iam ante Zingerlium alii Ovidianae huius imitationis rationem habuerant[2]); at subitariam horum opellam longe superavit accurata Zingerlii disquisitio[3]). Eluxit autem inde non minus ab Ovidio carminum Horatii lyricorum rationem habitam esse quam saturarum atque epistularum.

Quod si in nucis, quod carmen Ovidio fere suppar[4]) cum eius memoria coniungi solet, loco aliquo (v. 87 sqq. Felix secreto quae natast arbor in arvo . . . Non hominum strepitus audit, non illa rotarum, non a vicina pulverulenta viast) Horatii epp. I 17 v. 7 sq. (si te pulvis strepitusque rotarum, Si laedet caupona) iam ab aliis merito comparatorum 'testimonium' sibi agnoscere videtur Kellerus, equidem in re simplicissima ac modo certe non prorsus eodem utrubique prolata, cum per totum hoc carmen 182 versuum nullum praeterea Horatianae imitationis exemplum inveniatur, assentiri nequeo.[5])

Ex poetis aetati Augusteae proximis Phaedrum et Manilium, qui vocatur, et Pindarum illum personatum Thebanum in censum vocari video. Et dictionem quidem 'emunctae naris', quam de Lucilio usurpat Horatius sermonum I 4, 8 a nemine post eum adhibitam esse excepto Phaedro fab. III 3, 14, ubi Aesopus 'naris emunctae senex' dicitur, recte, quod sciam, saturam illam enarrans contendit Luc. Müller ed. Lucil. p. 291; at si addit, Horatium aperte ibi a Phaedro exscribi, hanc dictionem cum similibus, quibus ille utitur[6]), ex vitae quotidianae usu desumptam esse arbitror, ut sane probari nequeat, num

---

[1]) Recte sic, ut iam video, etiam A. Th. H. Fritzsche ad h. l. adnotans: 'Anspielung auf unsere Stelle (aber ohne Tadel des Horaz) Ovid. Art. am. II 269' (219 male typographus).

[2]) Praeter interpretum adnotationes cf. Meierotto l. l. p. 140—142, ut assolet materia ad iustum iudicium ferendum nimis tenui usus, et Paldamus l. l. p. 24–26.

[3]) 'Ovidius und sein Verhältniss zu den Vorgängern und gleichzeitigen röm. Dichtern', fasc. tertius, Oenoponti a. 1871.

[4]) Cf. U. de Wilamowitz-Möllendorff comm. in hon. Th. Mommsen p. 400 sq.

[5]) Cum loco quodam Ovidiano praeter ea quae protulit editor novissimus l. l. componi potest nucis v. 11 sq.: 'Saepe tuas igitur, Liber, miratus es uvas, Miratast oleas saepe Minerva suas' v. trist. IV 10, 43 sqq. 'Saepe suas volucres legit mihi grandior aevo . . . Macer, Saepe suos solitus recitare Propertius ignes'.

[6]) 'acutis naribus' s. I 3, 29 sq.; 'naris obesae' epod. 12, 3 cf. 'naso suspendis adunco' s. I 6, 5; 'suspendens omnia naso' s. II 8, 64. Probare sententiam meam videtur Don. ad Ter. Phorm. IV 4, 1.

Phaedrus eadem utens loci Horatiani memor fuerit; nec 'Docto labori dulce praeponens lucrum' (Phaedr. lib. III prol. v. 26) ex Horatii epist. I 18 v. 102 (honos an dulce lucellum) deductum esse arbitrer, cui pro testimonio locum Phaedrianum adscripsit Keller; similiter etiam Ovidius fast. I 193 sq. 'Vix ego Saturno quemquam regnante videbam, Cuius non animo dulcia lucra forent', quem et ipsum vix crediderim dictionem certe vulgarem ex deminutivi usu apud Horatium extricavisse, nec credidit, quod ex hominis diligentissimi silentio colligo, Zingerlius. Haud magis eum verbi 'nudare' usum, qui deprehenditur Phaedr. fab. lib. III prol. v. 47, ad Hor. sat. II 5, 47 (add. 8, 74) retulerim cum Paldamo l. l. p. 27, qui ipse observat Livium ita locutum esse[1]). At recte idem v. d. ibidem Phaedr. III 10, 17 'Stuproque turpi pollui famam domus' composuisse videtur cum Hor. carm. IV 5, 21 'Nullis polluitur casta domus stupris', quo novum testimonium odarum Horatianarum ante Neronis tempora lectarum lucraremur. At sane hunc consensum non fortuito ortum esse demonstrari nequit.

Quae de Manilio profert Paldamus l. l. p. 26 sq. omnino nihili habenda sunt; nec magis duorum locorum Manilianorum, quos in testimoniis Horatianis posuit Kellerus, alter (IV 217) ad Horatium carm. IV 6, 7 sq. pertinet: nam ibi legitur 'tremendus cuspide pugnax', apud Manilium vero libri fere exhibent 'Scorpion armata violenta cuspide cauda', quem versum Bentleius quidem scribendum esse censuit 'Scorpios armatae metuendus cuspide caudae'; Kellerus vero nescio quo auctore inde affert 'metuendus cuspide pugnax'. Alter autem locus (V 494 Bentl. 495 Jac.) 'Nec pacem a bello, civem discernet ab hoste' sane ita comparatus est, ut videatur memoriam Horatii epp. I 15 v. 29 'Impransus non qui civem dinosceret hoste' referre, quamvis, ut fere in talibus semper, uterque idem exemplum vel in re satis trita vulgarem usum sequi potuerit.

Non magis quam Maniliana, quae sibi proferre posse visus est Paldamus, ad imitationem Horatianam pertinent quae de Pindaro illo, si dis placet, Thebano[2]) attulit in calce commentationis suae (p. 36); certe conspirat uterque (Hor. epp. II 1, 107; Pind. v. 26), quod a Kellero adnotatum est, in clausula hexametri 'damnosa libido'; ac sane poetam illum, qui saepius Vergilii atque Ovidii vestigia legit, h. l. Horatii memorem fuisse non est quod negemus, quamquam 'dis damnosissimis' iam a Plauto (Bacch. v. 115 sqq.) 'Amor, Voluptas, Venus' adnumerantur et apud Ovidium suum, quem in eiusdem versus priore parte expressit[3]), legere ille poterat (ex P. I 10, 33) 'Veneris damnosa voluptas', ut fere ipse Horatius (epp. I 18, 21) 'damnosa Venus'. Praeterea probabiliter mihi Kootenus cum vaticinio Nerei Paridi dato apud Hor. c. I 15 comparare videtur Pind. Theb. v. 320 sqq. ab Helena eidem Paridi dictos;

---

[1]) V. Liv. 23, 5, 2 (detegendo nudandoque); 24, 27, 4; 33, 21, 8; 34, 24, 7; 35, 32, 2; 39, 15, 4; 40, 24, 4; 42, 63, 1 (similiter 'denudare' 42, 13, 3; 44, 38, 1); sic etiam Ovid. am. II 5, 5. Usus hic igitur satis frequens neque ad unius scriptoris imitationem referendus.

[2]) Nomen ipsum Pindari Homero huic Latino ex Horatio c. IV 9 v. 5 sqq. 'Non si priores Maeonius tenet Sedes Homerus, Pindaricae latent . . Camenae' adhaesisse videtur L. Müller praef. Hor. ed. l. p. XXXVI.

[3]) Ov. met. III 395 'Sed tamen haeret amor'; Pind. v. 25 sq. 'ferus ossibus imis Haeret amor'.

maxime huc faceret v. illius odae 19 sq. 'tamen heu serus adulteros Crines (Cultus al.) pulvere collines' cum Pind. v. 323 'Iliacoque tuos foedaret pulvere crines' a Weytinghio collatus, nisi potior videretur in poeta Vergilii atque Ovidii studiosissimo versus Vergiliani memoria a Kootenio ascripti Aen. XII 99 'foedare in pulvere crines'.[1])

Nullum igitur adhuc ex tribus his poetis Horatio supparibus prorsus certum imitationis Horatianae exemplum prolatum esse concedendum est; maxime tamen probabile unum certe exemplum ex Phaedro petitum nobis videbatur idque ad odas pertinens. Annumerari eidem aetati poterit fere Priapeorum carm. 73 v. 3 'Quae tamen exanimis nunc est et inutile lignum', quem merito ad Hor. s. I 8, 1 'Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum' ab Holdero adscribi video[2]) (cf. infra p. 20).

Ex scriptoribus eiusdem fere aetatis quae ad Velleium spectant perstrinximus comm. prioris p. 11; si Lachmanni sententiam, ingeniosam sane, sed non prorsus certam, l. ibi l. prolatam[3]) sequimur, ex libri Velleiani alterius capite 102 carminum Horatianorum IV 8 et 9 notitia Velleium non caruisse coniciendum est.

Seneca rhetor poetarum haud raro memoriam iniciens nullam Horatii habet rationem[4]), neque apud Valerium Maximum lectionis Horatianae vestigia deprehenduntur; quae enim affert Paldamus l. l. p. 14 pro nullis habenda esse primo obtutu apparet. Recte vero idem v. d. adnotat, quod ab Ad. Kiesslingio l. infra l. repetitum video, Valerium, si Horatii carm. II 2 memor fuisset, lib. V cap. 5 Proculeii mentionem vix omissurum fuisse.

Curtius IV 14, 25 'effugit mortem quisquis contempserit, timidissimum quemque consequitur' Horatii carm. III 2 v. 14 respexisse videbatur Bentleio, eum locum sic conformandum rato 'Mors et fugacem consequitur virum'; at cum scriptura tradita ibi sit 'persequitur'[5]) nec sit, cur ab ea recedatur, carminis Horatiani vestigia apud Curtium vix agnoscemus. Nec satis inter se similes, ut alter ex altero deduci possit cum Ungero em. Hor. p. 72, mihi videntur Curt. IV 5, 12 'ut quocunque tulisset pendentes animos fortuna sequerentur' et Hor. c. I 7, 25 sq.: 'Quo nos cunque feret melior fortuna parente Ibimus'. Ad Hor. epp. II 1, 10 sqq. 'diram qui contudit Hydram Notaque fatali portenta labore subegit, Comperit invidiam supremo fine domari' contra nimis dubitanter Kellerus 'huc respexisse videatur Curtius

---

[1]) Nonnulli alii loci Horatiani, quos Kooten passim Pindari Thebani versibus adscripsit, certae alicuius memoriae notam vix prae se ferunt cf. adn. ad v. 99; 183 sq.; 309.

[2]) Priap. carminis acephali 76 versus 1 sq. 'Quod sim iam senior meumque canis Cum barba caput albicet capillis' ad Hor. c. I 4, 4 'Nec prata canis albicant pruinis' referre non ausim.

[3]) Interim denuo typis descriptam opusc. II 100. Alia, quae demonstrarent Velleio Hor. od. lib. IV notum fuisse, eaque me quidem indice prorsus incerta protulit Paldamus Horatianor. (Gryph. 1847.) p. 9 sq. cf. eund. de imit. Hor. p. 13 sq. Quam perverse Velleio II cap. 36, ubi nec Propertii mentio fit, Horatii nomen inculcatum sit, recte iam Meierotto exposuit l. l. p. 150 sq.

[4]) Cf. Meierotto l. l. p. 153 sq.; Ad. Kiessling act. philologorum Kilon. a. 1869 congregatorum p. 32.

[5]) Codd. nonnulli 'prosequitur', quod eodem ducit; cf. R. Unger de C. Valgii Rufi poematis p. 398.

VIII 5 [§ 11][1]): 'ne Herculem quidem et patrem Liberum prius dicatos deos quam vicissent secum viventium invidiam', nam rem conficiunt et Horatii epist. l. v. 5 'Romulus et Liber pater et cum Castore Pollux' et Curtii l. l. § 8: 'hi tum caelum illi aperiebant Herculemque et patrem Liberum et cum Polluce Castorem novo numini cessuros esse iactabant'. Carminum quoque memoriam, haud tamen aeque certam, ex Curtio (IV 10, 3) afferre licet 'caelum vanis cogitationibus petere' coll. Hor. c. I 3, 38 'Caelum ipsum petimus stultitia'.

Ex iis quae hucusque proposuismus id sane elucet, Horatii carmina etiam ante aetatem Neronianam non neglecta esse. Atque hoc iudicium non tantum ad satiras atque epistulas, sed etiam ad lyrica carmina pertinet, quorum rationem, ut omnia plus minusve dubia partimque sane vel maxime probabilia omittam, a Propertio certe atque Ovidio, non exiliter[2]), ut mihi quidem videtur, sed verbis honorificentissimis lyricam eius poesin laudibus efferente loco illo tristium notissimo (IV 10, 49 sq.), non minus quam illarum, et ab Ovidio quidem saepissime, habitam esse negari nequit. Nec iamnunc, opinor, post ea quae a Teuffelio imprimis et Zingerlio adnotata sunt, Adolphus Kiessling id negabit, qui olim Propertium in censum omnino non vocavit, Ovidianae imitationis ambitum minoris quam par erat aestimavit[3]). Quod vero idem (l. infra l. p. 31) paulo calidius iecerat, satis probabile esse, carmina Horatii lyrica per totum hoc primum saeculum omnino vix lectitata esse[4]), id iam ipse fere ad limites supra indicatos restrinxit. Nos igitur omni fere hac de re disputatione omissa, in eo nos continere poterimus, ut notitiae universorum Horatii carminum vestigia per reliqua huius saeculi inde ab aetate Neroniana tempora indicemus. Accuratiorem vero eorum imprimis scriptorum, de quibus hucusque breviter carptimque secundum consilium nostrum locuti sumus, perquisitionem, si ita dicere fas est, enixe vobis, commilitones ornatissimi, commendamus; vix deerunt, quae adhuc inventis addi possint sententiamque nostram iamnunc certam ac firmam corroborent atque amplificent.

Inter scriptores aetatis Neronianae[5]) ordiemur a Seneca iuniore et poeta tragico et philosopho, Petronio satirae ex oratione numeris adstricta et soluta mixtae auctore, Columella denique, cuius duodecim librorum de re rustica decimus de hortorum cultu agens hexametris versibus compositus est. Hoc etiam in Senecae de morte Claudii ludum cadit; quod ibi addito nomine Horatii ex carm. II 13, 34 afferretur 'belua centiceps', id unum documentum esse, quo Senecam, sermones praeterea raro afferentem,[6]) cum odis aliquam familiari-

[1]) Hic locus ad v. Hor. l. iam a Th. Schmid adscriptus erat.

[2]) Sic Teuffelius Hist. litt. Rom.[3] § 219 p. 438, 5.

[3]) Quod iam Ecksteinius in ipso Kilonensium philologorum conventu ei opposuit l. l. p. 35.

[4]) Severissimum iudicium aequalium et proxime 'centum amplius per annos' (p. 160) insequentium de Horatio ac praesertim de odis eius latum esse iam Meierotto l. l. demonstrare conatus erat.

[5]) Recensionis a Valerio Probo eo ipso tempore institutae mentio allata est comm. I p. 11.

[6]) Tribus epp. moralium locis, quos cum loco illo composuit Haase in ind. ed Senecae (III 527) s. v. Horatius. Quorum uno tantum (epp. mor. 86, 13 H.) Horatius nominatur, reliquis duobus versus modo eius

tatem contraxisse probaretur, contendit Kiesslingius l. l. p. 32. At vel tunc ita iudicare non licebat: nam ex scriptis Senecae philosophis sane nil memoria dignum protulerat Paldamus l. l. p. 14, locorum vero ex eius tragoediis cum variis carminibus Horatii lyricis ab eodem collatorum maior pars certe ita comparata erat, ut sane ulteriorem Senecae cum Horatio atque imprimis cum melica eius poesi coniunctionem indicaret. Anno vero 1864 in editione lyricorum Horatii carminum et paucos quosdam locos ex philosophis Senecae scriptis petitos testimoniis Horatianis a se collectis inseruerat Kellerus (adn. carm. III 29, 33 sq.; epod. 2, 7 sq.; 9, 33) et paulo plures ex tragoediis sub eiusdem nomine servatis petitos; Agamemnonis deinde tragoediae auctorem non pauca ab Horatio mutuatum esse in praef. ed. Sen. tragoediarum anno 1867 monuerant R. Peiper et G. Richter; tum autem a. 1868 in act. gymnas. p. 330 sqq. maiorem aliorum eorumque unice fere ad odas spectantium locorum numerum significaverat illustrissimus civis noster, Guil. Dillenburger, quem honoris causa nomino. Qui loci si non omnes aeque ad persuadendum apti erant, tamen inter se collati et compositi operae a Seneca et maxime quidem per tragoedias in Horatio atque imprimis in lyricis eius carminibus positae haud ambigua praebebant documenta. Multo accuratius autem hae condiciones postea indagatae sunt: haud sane multum lucri praebuit alter tomus editionis Kellero-Holderianae, qui partim eodem anno 1869 prodiit, quo philologi Kiloniam convenerunt, partim anno insequente: sermonibus enim praeter locos a Seneca ipso allatos nihil ultra ab Holdero adnotatum est, epistularum tamen et artis poeticae versibus nonnullis testimonia Annaeana adscripsit O. Keller, ex quibus imprimis elucebat, Senecam librum de vita beata scribentem epist. Horatianae I 1 memorem fuisse.[1]) Eodem illo anno 1869 Luc. Müller praef. Horat. p. XII significabat, Horatium saepe a Seneca 'ipsa numerorum similitudine id conciliante' in chori sc. canticis, ut recte admonet Zingerle l. cum maxime laudando p. 12 sq., imitatione expressum esse. Illius autem potissimum adhortationi obsequens hic imitationi Horatianae studia accurata impendit et primo capite libelli Oenoponti a. 1873 a se emissi 'zu späteren lat. Dichtern'[2]) (p. 1—32) evulgavit; de Senecae tragoediis ibi egit p. 12—23 (cf. p. 1 et 10). Docuit huius imitationis vestigia eaque fere omnia e lyricis Horatii carminibus petita in omnibus his tragoediis inveniri, quamvis perparca in Octavia hisque non multo plura in Phoenissis, tum in Troadibus; de qua re

afferuntur, lectoribus scilicet vel sic satis noti (119, 13 et 120, 20 H.). Miris rationibus vel unum illum carminum locum, ex quo nil nisi ipsum illud 'belua centiceps' desumpsit Seneca, addubitat Meierotto l. c. p. 154 sq., reliqua etiam relationis inter utrumque scriptorem vestigia passim ab aliis indicata spernens, recte sane si unum exemplum spectes ab ipso prolatum; nam Sen. ep. 12, 9 solam Didonem apud Vergilium ab ipso laudatum (Aen. IV 653) spectat neque quicquam insuper ibi ab Horatio c. III 29, 42 sq. desumpsit. Quo modo in universum in poetarum versibus afferendis versatus sit Seneca scite exposuit Aem. Hermes quaestt. crit. in L. A. Sen. epp. mor. part. II (Meursae a 1874) p. 31 sqq.

[1]) V. Kelleri adn. ad eius ep. v. 69; 74 sq.; 98. Minus confidenter Sen. de ira I 1, 2 ad Horatium potissimum referrem (epp. I 2, 62).

[2]) Cf. praef. p. XI sqq., ubi iusta commentationis Paldamianae de eodem argumento conscriptae censura agitur.

v. quae disputat l. modo l. p. 20 sqq. At ne hic quidem totam hanc materiam absolvit, quae iterata indagatione non indigna est[1]); tum demum accuratius quam vel a Zingerlio factum est statui poterit, num haec disquisitio conferat aliquid ad quaestionem de genuina singularum Senecae tragoediarum origine diiudicandam; imprimis autem opera Senecae philosopha accuratius quam adhuc factum est perquirantur oportet. At quin Seneca omnia Horatii opera penitus inspexerit iam nunc nemini dubium esse potest.

Notum est inter omnes a Petronio cum Homero et lyricis Romanoque Vergilio testem advocari (c. 118) curiosam felicitatem Horatii, cuius carminis libri III primi paulo ante versum primum maxime pervagatum 'Odi profanum vulgus et arceo' attulerat. Praeterea autem aliis locis pedestri sermone conscriptis colores ab eodem poeta mutuatur: sic verba c. 17 'maior enim in praecordiis dolor saevit' recte collata sunt cum Hor. epod. 3, 5 Quid hoc veneni saevit in praecordiis'; nec minus epistularum aliquot loci compositi sunt cum sententiis Petronianis cf. quae epp. I 3, 32; II 1, 85; II 2, 76[2]) adscripsit Kellerus. Ex versibus in fine c. 108 positis v. 10 sqq. '... Cui non est mors una satis?' ad Hor. c. III 27, 37 sq. 'levis una mors est Virginum culpae' refert L. Müller praef. ed. Hor. a. 1869 p. XXXIV, praeterea etiam de Propertio cogitans IV (V) 4 v. 17. 'Et satis una malae potuit mors esse puellae', cui certe versus Petronianus multo est similior (cf. tamen Müllerum). Num alii praeterea imprimis per partes poeticas inveniantur loci huc pertinentes data opera nondum satis videtur esse exploratum.

Idem de Columella dicendum est, quem Horatii memorem fuisse doceret lib. de r. r. XI 3, 1, ubi secundum 'poetam' 'inemptae ruris dapes' nominantur, si is locus revera, quod fuit qui existimaret, ad Hor. epod. 2, 48 nec potius ad Verg. Georg. IV 133 referendus esset.[3]) Probabilius sane ad eiusdem epodi Horatiani v. 7 sq., ab aliis etiam in usum vocatos, referuntur 'limina potentiorum' in ipsa primi libri Columelliani praefatione (§ 9). In libro illo decimo extremo siderei vatis praecepta Maronis retulisse se dicit Columella (v. 434) et ad eum se fere applicavit; Horatium tamen (epp. sc. II 1, 205 'tenui deducta poemata filo') respexisse recte fortasse visus est v. 40: 'Pierides tenui deducite carmine Musae' et v. 227 'gracili conectere carmina filo', quamvis pro certis haec non venditem.

Quod ad reliquos huius aetatis usque ad finem fere primi p. C. n. saeculi attinet poetas, epicorum quoque, Lucani, Silii Italici, Valerii Flacci, Statii, studia maxime

[1]) H. A. Kochius duobus dialogorum locis (de vit. beat. 26, 5 et de brev. vit. 19, 2) in usum vocatis locis Horatianis mederi conatus est mus. phil. XXX 345; 349.

[2]) Num huc revera spectaret l. ex Petronii cap. 115 l. minus certum mihi videretur, nisi per huius capitis, ut ita dicam, vicinitatem (praeter c. 118 supra l. cf. c. 113 cum l. ep. I 3 l.) memoria Horatii passim instauraretur. Locum c. 4 extr. ex ep. II 1 84 sq. expressum non inscite praeeunte aliquatenus N. Fabro mutavit Fr. Jacobs, cuius vestigia pressit Boot or. I in Cat. etc. (Amstelod. 1857) p. XXV.

[3]) Verg. l. l. v. 132 sq. 'seraque revertens Nocte domum dapibus mensas onerabat inemptis'; Hor. l. l. v. 47 sq. 'Et horna dulci vina promens dolio Dapes inemptas adparet', quos ll. afferre poteram comm. I p. 15 adn. 1.

ad Vergilium sese convertisse constat; sed neque Horatii immemores eos fuisse iam ex iis talium studiorum exemplis patet, quae adhuc a viris doctis prolata sunt.

Ex his poetis Lucanus singulas quasdam dictiones verborumque coniunctiones ex primo potissimum carminum Horatianorum libro desumpsit; compositae hae fere sunt a Paldamo l. l. p. 28 sq. et a Zingerlio p. 7 ita, ut plerisque calculum adicias, de paucis tantum dubitatio relinquatur.[1]) Certa porro mihi videtur comparatio Lucani III 319 sq. 'per fulmina tantum Sciret adhuc caelo solum ('caeli solio' Bentl.) regnare tonantem' cum initio libri carminum Horatianorum tertii (5, 1 sq.): 'Caelo tonantem credidimus Iovem Regnare', dubitandum vero de nexu inter Luc. VIII 816 sqq. 'surgit miserabile bustum Non ullis plenum titulis, non ordine tanto Fastorum' et Hor. c. IV 14 v. 4 'per titulos memoresque fastos', quem Dorvillius constituit teste Burmanno ad Luc. l. l. Trium vero locorum, quos tanquam ad versus epistularum libri primi spectantes inter testimonia recepit Kellerus, nullus dubitatione omnino exemptus est: nam sane inter se congruere 'rerum concordia discors' Hor. l. l. 12, 19 et 'concordia discors' Luc. I 98 nemo negabit, num alter locus ex altero directe pendeat pro certo vix affirmes coll. Zingerlio l. l. p. 7, 1, qui monet per hos fere Lucani versus saepius Ovidianam instaurari memoriam, apud Ovidium vero (metam. I 433) exstare 'discordia discors'. In alterum Lucani locum (VIII 527) coniunctio cum Horatii epist. I 7 fine 'Metiri se quemque suo modulo ac pede verum est' coniectura demum R. Bentleii illata est, qui pro 'Metiri sua regna decet viresque fateri' scribere debere sibi videbatur 'Metiri sua quemque decet'; tertius autem versus (VI 152), in quo, praecedente versus initio 'O famuli turpes' ex ipsius Pharsaliae lib. IX v. 274 ut videtur desumpto, 'servum pecus' invenitur ex Hor. epp. I 19, 19 petitum in optimis libris Lucanianis deest atque insiticius esse videtur.

Non amplior est Horatianae imitationis apud Silium ambitus. Quoad nunc exploratum est, hoc eius studium intra sola carmina se continet, ex quibus loci huc pertinentes praeter paucos omnino falsos, partim sane dubii, partim vero certissimi compositi sunt a Paldamo l. l. p. 28, Zingerlio l. l. p. 7 sq., Ernesto Wezel de C. Sil. Italici cum fontibus tum exemplis (Lips. a. 1873) p. 83 sqq.[2]) Singulis vero exemplis, quae ex epodis, satiris, epistulis, arte denique poetica arcessita sunt, me quidem iudice nulla ad persuadendum vis inest: epodi scilicet 16 v. 8 'Parentibusque abominatus Hannibal' una cum carm. I 1 v. 24 sq. 'bellaque matribus Detestata' cum Sil. I v. 110 sqq. 'horreat ortus Iam pubes Tyrrhena tuos partusque recusent Te surgente, puer, Latiae producere matres' composuit Wezelius; paulo probabilius sane sat. I 5, 91 sq. 'Nam Canusi lapidosus (sc. panis), aquae non ditior urna Qui locus a forti Diomede

[1]) Eo imprimis pertinent, quae ex carmine tertio affert Paldamus, de initio carminis septimi Zingerle. Cf. etiam L. Müller praef. ed. Hor. a. 1869 p. XXVIII.

[2]) Cf. etiam R. Unger emend. Hor. p. 12 et 116, ubi praeeunte Schradero aliisque (cf. Paldamus l. l.) Hor. carm. II 1 v. 4 sq. scripturam 'et arma Nondum expiatis uncta cruoribus' coll. Sil. It. IX v. 12 sq. 'hostilique ungere primus Tela cruore' scite defendit. Nimis contra confidenter idem v. d. ibidem p. 65 sq. ea supplementa, quibus Hor. c. IV 8 v. 17 sq. refecisse sibi videtur, Silium videri posse legisse pronuntiat.

est conditus olim' cum Sil. XIV v. 237 'Quo mons Sicania non surgit ditior umbra' compararetur, nisi ibi 'umbrae' cum libris mss. N. Heinsio suasore videretur esse legendum[1]); satis dubium porro mihi videtur, num revera Silio II v. 68 scribenti 'Haec ignara viri' ante oculos obversatus fuerit Hor. epp. II 1 v. 132 'ignara puella mariti', cui illum adscripsit Kellerus; nec multo verisimilius idem ad a. p. v. 394 sqq. me quidem iudice addidit Sil. XI v. 440 (443 al.) sqq., simile sane argumentum tractantes, at id nec rarum aut reconditum nec, etiamsi nonnulla aeque utrubique posita inveniantur, tam congruentibus verbis conceptum, ut imitatio Horatii agnosci debeat; quamvis nec contrarium probari posse sane concedam. Atque hoc etiam tum demum paulo certius diiudicari poterit, si accurata disquisitione instituta demonstratum fuerit, num aliis quoque locis carminum Horatianorum praeter odas rationem Silius habuerit.

Operae a Valerio Flacco in Horatio positae perpauca adhuc vestigia inventa sunt eaque partim non minus incerta: sic coll. Lucr. II 917 Lm. 'et leti vitare vias'[2]) Paldamo l. l. non concedendum est, Arg. I v. 32 'letique vias ac tempora versat' ad imitationem versus Horatiani c. I 28, 16 'et calcanda semel via leti' expressum esse neque Aemilius Baehrens[3]) propter Horatianum illud (c. II 16, 1 sq.). 'Otium divos rogat in patenti Prensus Aegaeo' in Valerii VII v. 84 sqq. 'Qui iam te, Tiberine, tuens clarumque serena Arce ('sereno axe' Baehr.) pharon praeceps subito nusquam ostia, nusquam Ausoniam videt' voc. 'praeceps' a libris traditum in 'prensus' debebat mutare. Recte contra cum c. I 6, 14 sq. 'pulvere Troico Nigrum Merionen' Carolus Schenkl[4]) Arg. I 13 'nigrantem pulvere fratrem' videtur composuisse et potuit sane 'liquidos' hic 'colores' (II 467) et 'dulcia alloquia' (I 2 51, quem unum ex Valerio l. adnotavit Keller) et haec quidem ex Hor. epod. 13 v. 18, illos ex carm. IV 8 v. 7 desumere (v. Burmanni ad Val. Fl. l. lib. II l. adn.; Paldamum l. l. p. 12), quamquam ne haec quidem certa directae imitationis vestigia praebent.

Multo magis quam hi omnes Horatii lectione imbutum se praebet Statius, non epicus ille tantum, sed lyricus etiam poeta, de cuius studiis huc pertinentibus bene disputavit Zingerle l. l. p. 2 et 23 sqq.[5]) Alii praeterea viri docti praeter editores utriusque poetae, qui passim tales locos inter sese comparaverunt, hanc materiam obiter passim attigerunt, veluti Paldamus

---

[1]) Si recte ibi 'umbra' ablativus scriberetur, apud Horatium etiam eandem verborum structuram usurpatam esse probabile fieret; quo haud parum fulciretur v. insequens 92 a Bentleio obelo notatus calculum adiciente Luc. Müller et in lect. Horat. (miscell. Gr. Rom. acad. Petropol. t. III p. 705) a. 1873 et in editione Horatii a. 1874.

[2]) Praeter h. l. ipse Paldamus affert Liv. 31 18, 7 'seque ipsi per omnes vias leti interficerent', de quo l. egimus p. 5, cf. Burmannus ad Val. Fl. I 502.

[3]) Cf. praef. ed. p. LII.

[4]) Studien zu den Arg. des Val. Fl., nunt. acad. Vind. cl. ph. hist. vol. LXVIII a. 1871 adn. 59 p. 371 (p. 103 ed. sep.).

[5]) Cf. etiam p. 6 sq. et 104, ubi affert Baehrensium ann. ph. 105 p. 46 sq. Hor. carm. I 2, 21 sqq. ex imitatione Statii Theb. I 428 sqq. correcturum.

l. l. p. 13 sq.[1]); Usenerus ap. Müllerum praef. Hor. a. 1869 p. XIV (ubi pro 479, 70 l. 479 sq.); Ungerus et emend. Hor. p. 13 sq.; 185 et progr. gymn. civ. Halensis gymnasio Schleusingensi a. 1877 dedicati p. 9; Ph. Kohlmann, ea quae ad Thebaidem adnotavit O. Müller supplens in 'phil. Anzeiger' 1874 p. 347 ll. nonnullis carm. lib. I adscriptis. Statium, qui se ipso maiorem in lyricis certe poetam censuit Horatium, quod ex versu infra adn. 1 descripto patet, et per epica et per lyrica carmina, etsi maxime his posterioribus, Horatii omnium carminum generibus usus est, maxime quidem odis, saepius etiam epistulis, perraro quantum mihi quidem innotuit, epodis,[2]) satiris,[3]) arte poetica[4]). Praeterea autem imprimis id memoria dignum est, quod iam a Zingerlio praeeuntibus aliis, ut Mitscherlichio quem ipse affert p. 24, 2, observatum est, a Statio non tantum singulas dictiones verborumque iuncturas Horatianas in usum suum transferri, sed maiorum etiam locorum ac vel universorum quorundam carminum argumenta ante oculos ei esse obversata.

Ex lyricis autem praeter Statium eiusdem fere aetatis poetis, quorum opera hodie non supersunt, duo in censum veniunt: quorum alterum, Neroni aequalem, Caesium Bassum, aliquatenus Horatio in lyricis adici posse iudicat Quintilianus I. O. X 1, 96; imitatorem autem Horatii fuisse eum non dicit, nec scio, unde Meierotto l. l. p. 169 cognoverit, eum Horatium imitari voluisse; at cum in scriptis metricis eius odarum diligenter rationem habuisse videatur,[5]) sententia viri illius docti probabilitate non caret[6]). Paulo post vero Passennus Paullus[7]),

---

[1]) Recte iam is Stat. silv. I, 3 v. 100 'dictumque lyra maiore Catillum' ad Horatii c. I 18 initium spectare vidit, quem versum ad Vergilium Handius retulerat; tum eandem sententiam et Lachmannus protulit in adn. ad Lucr. I 360 eoque allato Dillenburgerus l. l. p. 330.

[2]) Theb. I 389 'Invitat tenuis ('teneros' Marklandus) ad dura cubilia somnos' cf. cum epod. 2, 27 sq. 'Fontesque ('Frondesque' Marklandus) lymphis obstrepunt manantibus Somnos quod invitet levis' v. tamen etiam Ov. metam. XI 603 sq. 'Rivus aquae Lethes, per quem cum murmure labens Invitat somnos crepitantibus unda capillis'. Ad eundem Horatii locum Stat. silv. I 3 v. 42 sic conceptum '[Nox silet et] teneros invitant murmura somnos' adscripsit Keller; at librorum scriptura valde inde recedit; est autem haec: 'Nox silet et nigros mutantia (imitantia Itali) murmura somnos'; in illa vero scriptura ab apicibus traditis sane nimis recedente 'teneros' Marklando debetur (qui fere praeferebat 'aut t. invitant carmina s.'), 'invitant' Peyraredo, quem Baehrensius affert (idem Peyr. initio versus 'pigros'; tum 'mittunt iam' Baehr.). At cum eiusdem epodi v. 39 sqq. Zingerlius l. l. p. 24 recte composuit silv. V 1, 119 sqq.

[3]) Exitus Hor. serm. II 2, 110 et Theb. VI v. 765 'metuensque futuri' componitur ab Holdero in add. ed. Hor. II p. 480 et ab O. Müller ad Stat. v. l.; exitus Hor. serm. et I 5 v. 55 'ab his maioribus orti' et I 6 v. 10 'nullis maioribus ortos' ac Stat. silv. I 2, 71 'patriciis maioribus ortum' confert Zingerle p. 25, qui cf.

[4]) 'libera vina' ex Stat. silv. I 6, 41 ad Hor. a. p. v. 85 adnotat Kellerus.

[5]) V. Gramm. Lat. vol. VI p. 255 sqq.; 305 sqq. Keil. coll. iis, quae de utroque libello disputavit editor eruditissimus p. 250 sqq.

[6]) Multo vero minus Meierottoni p. 169 sq. calculum adiciemus haec scribenti: 'Quumque antecedentia tempora non nisi unum Caesium Bassum vidissent, qui imitari Horatium vellet; jam turba ingens imitatorum non prorsus infelicium emergebat teste Quintiliano lib. 10 c. 1. hunc ipsum Caesium Bassum longe praecedunt ingenia viventium'.

[7]) Cf. Haupt opusc. I 283.

municeps prolesque et primum in elegis imitator Propertii, deinde, ut Plinii iunioris verbis utar[1]), 'ad lyrica deflexit': 'in quibus' ait 'ita Horatium, ut in illis illum alterum effingit; putes, si quid in studiis cognatio valet, et huius propinquum. Magna varietas, magna mobilitas; amat ut qui verissime, dolet ut qui impatientissime, laudat ut qui benignissime, ludit ut qui facetissime, omnia denique tanquam singula absolvit'.

Neroniano tempori porro sagacissimae Mauricii Haupt disputationi[2]) calculum adicientes Calpurnium eclogarum bucolicarum poetam adnumerabimus. Apud hunc pauca sane, sed indubitata fere imitationis Horatianae extant exempla eaque certatim a Paldamo l. l. p. 31 sq.; Rob. Unger de Valg. poem. p. 395 sq., em. Hor. p. 72, progr. supra l p. 9; L. Müller praef. ed. a. 1869 p. XII; Kellero ed. II p. 481 allata, ad carmina et ad epistulas Horatii pertinentia[3]).

Eiusdem fere aetatis auctorem carminis panegyrici in Pisonem esse idem Hauptius docuit l. l. p. 391 sq.[4]) Is vero non tantum honorifice Horatii meminit v. 230, ubi Maecenas dicitur chelyn gracilis patefecisse Horati, sed versum proxime insequentem ordiens a voce. 'O decus' certe carm. Hor. I 1 versus 2 memor fuit[5]). Studiosiorem vero imitandi Horatii auctorem monstrant alii versus panegyrici: nam ne 'classicum horrorem' v. 129 ex 'classico truci' Horatiano (epod. 2, 5, quem l. attulit Wernsdorfius in adn. ad illum versum P. L. M. IV p. 260) deducam, quamquam in loco tali recordatione, ut mox videbimus, maxime referto hoc mihi ipsi sane non improbabile videtur, v. 130 sq. 'nec semper Gnossius arcu Destinat' recte ad Hor. c. II 10 v. 19 sq. 'neque semper arcum Tendit Apollo' relati sunt a Bersmanno assentiente Teuffelio hist. litt. Rom. § 301, 2[3]. Paulo post vero v. 133 initium 'Ipsa vices natura subit' cum Hor. c. IV 7 v. 3 'Mutat terra vices' collatum aperte praeludit loco ampliori v. 138 sq. ex eiusdem odae v. 9 sqq. expresso, ut iam ab aliis inde a Bersmanno adnotatum est[6]).

'Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico Tangit et admisso circum praecordia ludit Callidus excusso populum suspendere naso' de Horatio haud male Persius (sat. I 116 sqq.),

---

[1]) Epp. IX 22 cf. VI 15.

[2]) Opusc. I 378 sqq.

[3]) Ecl. 6, 72 cum Hor. epp. I 10, 19 tum demum recte componetur, si illic 'lapillis' legendum est cum libris sane tantum non omnibus; at 'tapetis' ex silentio collationis ap. Burmannum P. L. M. I p. 729 videtur praebere Neapolitanus (Dorvillianus a) 'optimus omnium codex' (sic Hauptius l. l. p. 359).

[4]) Eundem hominem fuisse vix neque eidem neque Lachmanno ad Lucr. V 1006 p. 326 credendum est; neque ipse Hauptius huic coniecturae multum tribuit. Ad Claudii aetatem eum pertinere non inscite coniecit Teuffel hist. litt. Rom. § 301, 1[3], unde novum argumentum iis accederet, quae supra adversus Kiesslingii sententiam prolata sunt.

[5]) Quod addendum est iis quae comm. I p. 10, 3 adnotavi.

[6]) Conferunt etiam cum h. l. Lucilii Aetn. v. 239 sqq., de quo poeta praeterea nil adnotatum invenio. Ipse eum ad talia vestigia quaerenda nuper non relegi; illi loco autem certa directae, ut ita dicam, relationis in argumento sane eodem, at eo sat triviali, non insunt praeter voc. 'recurrit' apud utrumque de hieme redeunte positum, quod ad talem sententiam stabiliendam tum demum adhiberi poterit, si alia eaque certiora documenta ex hoc carmine afferentur.

quo nemo magis, nemo fere infelicius eum imitatus est. De studiis his Persii Horatianis diligentissime iam Is. Casaubonus egit in 'Persiana Horatii imitatione' editioni Persii (Paris. a. 1605, repetitae a. 1615) adiecta[1]); quae cum nimis coartare studuisset Franc. Passow ed. Pers. (Lips. 1809) vol. I (unic.) p. 107 sqq., iusto in utramque partem modulo ea mensus est rectissimumque simul de iis iudicium protulit O. Jahn ed. Pers. Lips. a. 1843 p. LIX sqq.[2]) Imitatio haec Persiana, ut id unum addam, maxime quidem, ut per se patet in hoc imitationis genere — nam apud Iuvenalem rem omnino aliter se habere mox videbimus —, ad satiras pertinet, sed etiam in reliquos Horatii libros tantum non omnes radices egit.

Sulpiciae 'satira', quae vulgo huc referebatur, ad insequentium saeculorum memoriam differre placet post ea quae de eius aetate ab Aemilio Baehrens disputata sunt, etiamsi his non omnibus eundem probabilitatis gradum inesse concedo[3]).

Iuvenali[4]) Horatium satirae fere principem atque exemplum visum esse demonstrat versus ille notissimus 'Haec ego non credam Venusina digna lucerna?' (sat. I 51); ad eiusdem sat. VII v. 225 sqq. iam prioris comm. p. 11 animum attendimus. Utroque loco allato iam Meierotto l. l. addit, odarum semel aliquam mentionem inici sat. VII v. 62 'satur est, cum dicit Horatius (carm. II 19, 5 et 7) 'euhoe''. Sed tacite etiam memoriam Horatianam passim apud peritos instaurat, quamquam, ut recte observavit C. F. Hermann, multo rarius quam Persius[5]). Ad quos versus pertinere locum, eum, de quo cum maxime locuti sumus, proxime praecedentem (VII v. 59 sqq.), ob ipsam illam vicinitatem libenter concederemus; attamen num re vera ibi 'neque enim cantare sub antro Pierio thyrsumque potest contingere sana Paupertas' a Iuvenale memore Hor. a. p. v. 296 sq. 'excludit sanos Helicone poetas Democritus' scriptum sit, cui lectioni codicum dett. scholiasta vetus ac G. Valla favent, an

---

[1]) Recudi curavit Dübnerus in ed. Casauboni iteratione Lips. a. 1839 p. 344 sqq.

[2]) Cf. etiam Ch. Nisard études sur les poètes Latins de la décadence t. I p. 297 sqq. ed. Bruxell. a. 1834; L. Müller praef. ed. Hor. a. 1869 p. XII sq.; Guil. Teuffel Studien u. Charakteristiken (Lips. 1871) p. 401 sq. (quae ex praef. vers. Pers. Germ. Stuttgart. a. 1844 p. 31 sq. editae iterata sunt). In indice ed. suae Persianae (Havn. a. 1827) s. v. Persius ibique sub lemmate 'an Horatius?' locos, qui eo spectare viderentur, composuit Frid. Plum, commemoratus a Baehrio h. litt. Rom. I[4] p. 617, 3.

[3]) V. Aem. Baehrens de Sulp. q. v. Satura. Ienae 1873 cf. quos l. Teuffel Lat. Litt. Hist.[3] § 323, 7 add. tum iis quae ipse observavi ann. ph. 109, 573 sqq., tum v. d. in 'phil. Anz.' 1874, 194 sq. et E. Piccolomini rivista di filol. II 593 sq. disputationibus.

[4]) De iis, quae inter Iuvenalem et Horatium extant rationibus praeter editores cf. Meierotto l. l. p. 146; Paldamus l. l. p. 27; Zingerle l. l. p. XIII, 2, qui recte significavit, quid ei faciendum esset qui hanc quaestionem absolvere vellet; atque eadem fere de omnibus poetis partimque de omnibus scriptoribus pertractandis valent. A Iuvenalis genuinis et spuriis, quae feruntur, satiris discernendis consulto abstinui.

[5]) Nimis praefracte contra Paldamus l. l. 'Iuv. abstinuit fere ab Horatii imitatione' v. Zingerle l. l., qui immemor fuit promissi, se quaedam huc spectantia in comm. eius libelli III additurum esse; nam quae p. 81 de cachinni voc. protulit huc vix spectant, alia frustra quaesivi.

'maesta' a Pithoeano codice atque aliquot aliis [1]) propagatum, difficile est diiudicatu; dissentiunt ea de re inter se viri crisis in Iuvenale exercendae peritissimi [2]) neque ego in transcursu subtilem hanc et altioris, quam primo obtutu apparet, indaginis quaestionem profligare conabor. Non magis affirmem, alterius eiusdem artis poeticae versus (128) rationem habitam esse ('Difficile est proprie communia dicere') a Iuvenale sat. I v. 30 ('Difficile est satiram non scribere') ab iisdem verbis ordiente, cum haec sane nimis trita sint; iisdem in altera tertiaque pede hexametri usus est sat. XI 17, magisque fere, loci illis assignati ratione non habita, propter negationem cum Iuvenaliano versu Ovidianum fere compares met. II 447 'Heu quam difficile est crimen non prodere vultu!' [3]) Epistulas contra Horatianas nonnullis versibus Iuvenalianis colores induisse, non est quod negemus; sic recte adnotatus est ad epp. I 2, 42 'Rusticus exspectat, dum defluat amnis' idem fere Iuv. XIV v. 25 initium: 'Rusticus exspectas, ut non sit adultera Largae Filia', neque minus recte ad eiusdem libri epist. 19 v. 19 sq. 'O imitatores, servum pecus, ut mihi saepe Bilem, saepe iocum vestri movere tumultus' Iuv. XV 15 sq. 'bilem aut risum fortasse quibusdam Moverat (Ulixes sc.), ut mendax aretalogus'. Haud ita indubitate ad exitum epistulae eiusdem libri I v. 40 'Si modo culturae patientem commodet aurem' adscriberem Iuv. sat. V v. 107 clausulam 'facilem si praebeat aurem' cum Teuffelio hist. litt. Rom. § 331, 6 p. 758^3, eumque, si omnino Horatium respici censerem, ad sat. I 1, 22 'votis ut praebeat aurem' potius cum Zingerlio l. l. p. XIII referrem, nisi illius quoque memorem fuisse Iuvenalem probabile esset propter versuum proxime eum sequentium 'Virtus est vitium fugere et *sapientia prima* Stultitia caruisse' notitiam, quam prodit sat. XIII v. 189. '*Prima* docet rectum *sapientia*'; sic etiam ad tertium eiusdem epistulae locum (v. 58 sq.): 'Sed quadringentis sex septem milia desunt, Plebs eris' Iuv. Sat. V v. 132 sqq. merito adscribi minus confidenter dicerem 'Quadringenta tibi si quis deus aut similis dis Et melior fatis donaret homuncio, quantus Ex nihilo, quantus fieres Virronis amicus!', nisi et duo illi loci modo allati eiusdem epistulae proderent memoriam et huic ipsi alterum Horatii vestigium (I 1, 15 '*si quis deus* "en ego" dicat' etc.) ex ipso saturarum principio impressum esse videretur. Parcissimis satisque tenuibus saturarum vestigiis modo praetereundo fere monstratis ex epodis unum locum addo, qui minus mihi dubius videtur quam Paldamo l. l. et ipsi 'παρῳδίας speciem' agnoscenti: 'Nobilis ut grandi cecinit Centaurus alumno' (13, 11) coll. cum Iuv. sat. VII v. 210 sqq. 'metuens virgae iam grandis Achilles Cantabat patriis in montibus et cui non tunc Eliceret risum citharoedi cauda magistri'. Quod si idem Paldamus 'imitationem' ait 'quandam eius

[1]) Nonnulli praeterea 'saeva', quod et ipsum ad Horatium (c. I 12, 43) spectare recte admonet Hermannus l. l.

[2]) Hermannus 'maesta' et edidit et tueri conatus est l. l. et vindiciarum Iuvenalianarum (proem. ind. lect. Gott. aest. a. 1854) p. 12, 'sana' edidit Ribbeckius; hoc Jahnius in ed. a. 1851 praetulerat, a. 1868 'maesta' edidit altera lectione ne in margine quidem memorata.

[3]) Cf. etiam Verg. g. II 256 sq. 'at sceleratum exquirere frigus Difficile est' aliaque Ovidiana in indice ed. Burmannianae sub v. Difficile vol. IV p. 132 c indicata.

(sat. XII init.) observarunt scholiastae ad c. IV 11, 17', sententia utriusque loci sane similis est, sed num alter alterum respiciat haud ita perspicuum; apud scholiastas vero eius relationis mentionem nullam inveni atque accidisse videtur Paldamo, ut quae ad alterum locum ab ipso adnotatum pertinerent alteri tribueret; nam Acro q. v. epodon versui cum maxime l. Iuvenalis locum supra et ipsum prolatum adscripsit. Idem [1]) praeterea ad carm. II 10, 9 Iuv. X v. 105 sq.; ad carm. III 16, 17 sq. sat. XIV v. 139; ad serm. II 1, 25 sat. VI v. 305 non inscite addidit, quamquam vel in his vix imitatio directa apparet; reliqui qui in hac scholiorum farragine Horatio adscripti sunt loci Iuvenaliani, atque id partim satis inepte, huc omnino non pertinent[2]). Sat. denique X v. 316 sq. 'secat ille cruentis Verberibus' cum ad epod. 4, 11 'Sectus flagellis hic triumviralibus' adnotaret sciens insciensve scholii auctor interpolavit sic eum afferendo: 'secat ille flagellis'.

A *Martiale* non primum inter poetas ordinem Horatio adsignari concedere possumus Meierottoni l. l. p. 146 sqq.; num vero inde, quod inter apophoreta ex litteris cum Graecis tum Latinis petita (lib. XIV ep. 183—196) apud eum non compareat, id quoque sequatur, eum publici saporis non fuisse, inter tot continuae studiosaeque per eandem illam aetatem lectionis vestigia magnopere dubito, quamvis scriptoribus maxime popularibus eum non adnumerandum esse haud negaverim; at partim sane casu magis inter apophoreta libri illi videntur recepti esse, quam eo consilio, ut reliquis praeferrentur, ut praeter Homerum eiusdem batrachomyomachia, praeter Vergilium eius culex solus, ut Calvi de aquae frigidae usu libellus[3]), Ovidii unae metamorphoses, Menandri una Thais. Quod idem porro dicit, 'quaedam in tot milibus epigrammatum' apud eum reperiri, 'quae forsan ab Horatio mutua sumta neque tamen non et Martialis propria vel aliunde ex poetarum vel Graecorum fontibus derivata esse possint', hoc, quod extremo loco dicit, omnino saepissime in censum venire debere plus semel monuimus, id una addentes, talia ab iis, qui praeterea Horatium novissent, ita plerumque certe prolata esse, ut praeter ipsum fontem Horatianae quoque memoriae ipsi non essent immemores; alia autem ita comparata sunt, ut talem sententiam fere excludant atque imitationem significationemve directam probent, eoque fere pertinet, quem h. l. attulit Meierotto[4]), Mart. ep. X 68 v. 1 (cui cum eodem 'claram Rhodon' addas ex lib. IV ep. 55 v. 6), 'Cum tibi non *Ephesos* nec sit *Rhodos* aut *Mitylene*' collatus cum Hor. c. I 7 initio 'Laudabunt alii claram *Rhodon* aut *Mitylenen* Aut *Epheson*'. Ex iis autem quae porro addit tribus locis carm. sane II 6 v. 10 et v. 16 exitus 'ovibus Galaesi' et 'Venafro' cum Mart. XII 63 v. 1 'Venafro' et v. 3 'oves Galaesi' clausulis per chiasmum satis lepidum conferendi sunt, duo autem reliqui loci ad

[1]) Porphyrio, quod sciam, nusquam Iuvenalis mentionem inicit.

[2]) Idem de iis Horatii versibus dicendum est, qui passim scholiis Iuvenalianis inserti leguntur.

[3]) Carmen didacticum fuisse suspicatus sum ap. Teuffelium H. L. R.^{3} § 213, 7.

[4]) Ne de c. I 1 v. 1 loquar a Martiale XII 4, 2 in usum vocato, ubi ipsius Horatii nomine addito nulla remanet dubitatio.

alterum illud genus referendi erunt (Mart. XIV 90, 1 silvae filiae Maurae: Hor. c. I 14, 12 Silvae filia nobilis; ibid. 140, 1 olentis barba mariti: c. I 17, 7, Olentis uxores mariti). At in paucis his exemplis non substitit Martialis imitatio[1]), quam merito tanquam sat memorabilem praedicat Zingerle l. l. p. 2 sq., eiusque exempla, etiamsi non omnia aeque certa, prolata sunt cum ab ipso p. 8, tum ab aliis. Perincerta enim mihi videtur, ut nonnulla delibem, unica cum arte poetica comparatio, quam a Kellero institutam video ad v. 342 'Celsi praetereunt austera poemata Ramnes' afferente Mart. I 25, 2 sqq. 'profer opus Quod nec Cecropiae damnent Pandionis arces Nec sileant nostri praetereantque senes'. Sic non auderem cum Ungero em. Hor. p. 19 componere Mart. ep. IX 90 initium cum Hor. c. II 3, 6 sqq., nec cum Zingerlio aut versus epigr. Martialiani proxime insequentis 5 exitum 'conviva tonantis' ad ipsum exitum Horatianum c. I 28 v. 7 'conviva deorum' eam ob rem referre, quod apud Statium quoque in fine v. Theb. VI 282 'conviva tonantis' legatur, aut ep. X 76, 6 'Lingua doctus utraque' ad Hor. c. III 8, 5 'Docte sermones utriusque linguae', aut ep. X 2, 7 sqq. ad c. III 30. Paulo cautior equidem ne Lehrsio (ed. Hor. p. LXVII n.) quidem, quamvis ipse aegre, ut ingenue fatear, ferens, plene assentiri possum, Martiali cum haec scriberet ep. X 78, 1 sqq. 'Ibis litoreas, Macer, Salonas, Ibit rara fides amorque recti Et secum comitem trahet pudorem'[2]), tres locos libri primi carminum Horatianorum (18, 16 sqq.; 24, 6 sqq.; 35, 21 sq.) obversatos esse. Certissima contra praeter carminum locos supra allatos epodi alterius per Martialem haud infrequens imitatio cf. praeter editorum adnotationes Zingerle l. l.; neque minus recte et idem et Holderus exitum versus VII 19, 1, quem etiam in Priapeorum aliquo loco inveniebamus p. 9, ad ipsum Horatium (sat. I 8, 1) videntur rettulisse, unicum sane, quod sciam, saturarum Horatianarum locum, qui adhuc ad Martialem referri posse vv. dd. visus sit; non improbabiliter denique, quamvis pro certo id affirmare non audeam, et ad epist. I 4, 13 'Omnem crede diem tibi diluxisse supremum' Mart. IV 54, 3 sq. 'Si sapis, utaris totis, Colline, diebus Extremumque tibi semper adesse putes' in sententia sane satis triviali[3]), et ad epist. I 20 v. 12, quo librum suum adloquitur Horatius, 'tineas pasces taciturus inertes' Mart. VI 60, 7 'Quam multi tineas pascunt blattasque diserti' post alios adscripsit Kellerus.

Iam poetis primi p. C. n. saeculi fere absolutis ad scriptores pedestres per alteram eiusdem saeculi partem post Neronem ac deinceps usque ad finem fere imperii Traiani viventes ac scribentes progrediendum est, utrumque Plinium dico, Quintilianum, Tacitum, Floros denique et historicum et rhetorem.

---

[1]) Multo minus sufficiunt observationes quaedam a Paldamo l. l. p. 29 prolatae de sermonis quadam proprietate quae, ut exempla ab ipso proposita demonstrant, omnino non ad hos modo duos poetas pertinet.

[2]) De his recte constituendis nuper disputatum est a L. Friedlaender Darstellungen etc. III 398 et ab Henr. Köstlin phil. XXXVI 276.

[3]) V. modo quae praeter l. Martialis, quem sane et ipse primo loco posuit, in adn. ad h. Hor. l. attulit Obbarius.

Et Plinium quidem maiorem Horatii mentionem non fecisse una cum Vergilio[1]) lib. VII § 114 morosius fere, si totius huius loci nexum consideramus, queritur Meierotto; ac sane, ut in universum nemo negabit, Vergilium Horatio multo magis popularem fuisse, ita Plinius quoque multo saepius illius habet rationem (cf. modo Ottonis Schneideri, veteris amici mihique carissimi, indicem accuratissimum s. v. Vergilius) quam huius, quem semel tantum nominatim affert. Atque id quidem, suo etiam loco in lib. X indice indicatum, fit eius libri naturalis historiae § 145, ubi haec: 'quae oblonga sint ova gratioris saporis putat Horatius Flaccus; feminam edunt quae rotundiora gignuntur, reliqua marem', quae ad sat. Hor. II 4, 12 sqq.[2]) spectare nemo non vidit videtque. Eius autem satirae, quae tanquam catechismus, ut ita dicam, culinarius materiae a Plinio tractandae maxime finitima erat, saepius tacite ratio ab eo habita est: sic aperte versum eius 71 'vennuncula' (ut nunc fere scribendum esse censent vv. dd.; 'venucula' etc. al.) 'convenit ollis' in animo habuit Plinius lib. XIV § 34 haec scribens 'vennunculam inter optime deflorescentes et ollis aptissimam Campani malunt surculam vocare', neque dubito, quin tertio quoque loco (lib. XXIII § 38) dictionem 'stomacho innatare', quam de dulci vino usurpat, ex eadem satura desumpserit, ubi v. 59 sq. legerat: 'nam lactuca innatat acri Post vinum stomacho'. Praeterea unius tantum loci memoriam novi eiusque ex artis poetica petiti (v. 208 sqq.), cui verba n. h. lib. XVI § 171 ad eandem materiam describendam adhibita 'postquam varietas accessit et cantus quoque luxuria' deberi recte adnotavit Kellerus.

Satis morosum ut in Martialis condicione expendenda sic etiam in Plinio minore deprehendimus Meierottonem (l. l. p. 157 sqq.). Afferuntur sane a Plinio aliquotiens locis Vergiliani, numquam Horatiani; at iudicium, quod de lyricis Horatii carminibus fert, supra p. 16 cum de Passenno Paullo loquebamur ex lib. IX ep. 22 descriptum, honorificum esse aequi indices non negabunt; quae autem praeterea profert Meierotto aut futilia sunt aut parum certe probantia. Ipsorum vero carminum nulla apud Plinium iuniorem vestigia extare videri, fatendum est; certe ea quae adhuc prolata sunt, nihili sunt, veluti quae de Diomede afferuntur ep. V 2, 2 ex Homeri lectione Plinio nota erant neque is eorum est color, ut Horatianorum versuum c. I 7, 15 sqq. memoriam excitent; nec si ep. VIII 24, 3 Maximum admonet 'sit apud te honor antiquitati, sit ingentibus factis, sit fabulis quoque', 'ingentia facta' ex Horatianae ep. II 1 v. 6 desumpta esse crediderim casuique potius tribuerim, quod haec vocabula, postea saepius ita usurpata (v. modo Bentleii adn.), non ante hunc Horatii locum coniuncta legimus.

Nec, ut a discipulo, quem avunculo statim adiunximus, ad magistrum nos convertamus, apud Quintilianum in institutionis oratoriae libris totiens allatum Horatium invenimus

---

[1]) In quem ea quoque ex proxime insequenti Plinii paragrapho confert Meierotto, quae ad Varronem pertinent.

[2]) 'Longa quibus facies ovis erit, illa memento Ut suci melioris et ut magis alba rotundis Ponere, namque marem cohibent callosa vitellum'.

quam Vergilium: tamen satis frequenter huius quoque rationem haberi[1]), ad iudicia eius respici, nec mediocrem per omnia fere poesis genera ab eo exculta laudem ei tribui, id vel ex iis, quae Meierotto l. l. p. 155 sqq. proposuit, satis potest cognosci; si in quibusdam (lyricis sc. quibusdam carminibus) eum interpretari se nolle dicit (I 8, 6), quid his verbis sibi velit simplicissime explicant ea, quae proxime praecedunt: 'utiles tragoediae, alunt et lyrici, si tamen in his non auctores modo, sed etiam partes operis elegeris. nam et Graeci licenter multa'; post quae si addit 'et Horatium in quibusdam nolim interpretari' nihil aliud eius animo obversari posse quam Horatii carmina quaedam licentiosiora mihi persuasum est[2]). Quaerentibus nobis, num suis ipsius verbis frusta lectionis Horatianae Quintilianus inseruerit, duo loci sese offerunt. Quorum alterum ex satirae libri alterius primae versu ultimo petitum 'Solventur risu tabulae' Burmannus adnotavit ad Quint. V 10, 67 'periculosum et cum cura intuendum genus, quia, si in proponendo unum quodlibet omiserimus, cum risu quoque tota res solvitur', me quidem iudice summa cum probabilitate, assentientibus Orellio et Wüstemanno ad Hor. l. l., improbante Spaldingio ad Quint. l. l. et, si ex silentio indicium capere licet, Holdero, dubitante Paldamo l. l. p. 14 sq.[3]) Si vero Paldamus in his libris complures locos esse censet, de quibus ambigi possit, utrum imitationem Horatii statuamus an non, mihi unus tantum, ut significavi, praeterea praesto est, at is, ut mihi quidem videtur, certus idemque satis facetus: si nimirum Quint. X 1, 86 Horatium 'felicissime audacem' vocat, hanc significationem ex ipso poeta desumpsisse videtur, qui de victore Romano Graecis chartis acumina admovente 'Temptavit quoque' ait (epp. II 1, 164 sqq.) 'rem natura sublimis et acer; Nam spirat tragicum satis et feliciter audet, sed turpem putat inscite metuitque lituram'[4]). In hoc etiam scriptore accuratam disquisitionem denuo instituendam esse, non est quod addam.

Institutioni Quintiliani oratoriae si adiungimus declamationes, quae sub eiusdem nomine propagantur, vulgarem modo usum sequimur. Ex tota vero hac farragine unus tantum

[1]) Pleniores, viginti quattuor sc. enumerans hos locos ex omnibus Horatianorum carminum generibus petitos affert Bonnell Lex. Quint. p. 1036 s. v. Horatius; eorum duo tantum pertinent ad epistulas, sex ad saturas, novem ad carmina, ex una vero arte poetica desumpti sunt septem. Addendum fortasse ex sententia Mitscherlichii non improbabili, c. I 15 significari videri a Quint. III 7, 19 'et in quibusdam, ut in Paride traditum est, praedicta pernicies'.

[2]) Mihi quidem artificiosiores videntur loci aliter interpretandi conatus a vv. dd. instituti, velut, quod pace viri Ὁρατιανοτάτου dixerim, ea explicatio, quae nuper a Luc. Müller praef. ed. Hor. Lips. a. 1869 p. XXVI prolata est.

[3]) Si recte h. l. vestigia Horatiana agnoscuntur, per se iam corruit Th. Bergkii ad v. Hor. l. coniectura (v. philol. XXXII 566) ingeniose excogitata, 'solventur BIS VI tabulae' pro 'solventur RISV tabulae' legendum esse; me quidem iudice coll. 'sanctarum legum' in v. 81 commemoratione hac mutatione omnino non egemus; ille sane 'schwer begreift man, wie man den offenbaren Fehler nicht schon längst berichtigt hat'. Ipso Paldamo allato alium Quint. l., lib. sc. XI c. 3 § 58 'fori sanctitatem ludorum talarium licentia solvere', ad l. hunc Horatianum nuper referri potuisse miror.

[4]) L. Quintilianeum a Th. Schmid ad Horatii dictionem explicandam adnotatum inter testimonia merito rettulit Kellerus.

locus, isque certatim a vv. dd. adnotatus[1]), certum memoriae Horatianae documentum videtur praebere, decl. XIII 2 p. 272 Burm. 'Postquam proximos quosque revellendo terminos[2]) ager locupletis latius inundavit, aequatae solo villae et excisa patria sacra et cum coniugibus parvisque liberis respectantes patrium larem migraverunt veteres coloni', aperte sc. petitus ex carm. Hor. II 18 v. 23 sqq.: 'Quid, quod usque proximos Revellis agri terminos . .? pellitur paternos In sinu ferens deos Et uxor et vir sordidosque natos'. Cui alterum adiungere vix dubito ex notissimo illo fere veteribus inter carmina Horatiana epodo altero (v. 39 sqq.) petitum, non propter unam dictionem 'perusta solibus' ab auctore decl. III 3 p. 62 B., ubi 'frigoribus ac solibus perusta' legitur, repetitam, quam unice inde affert Paldamus l. l. p. 15, sed propter simillimum utriusque loci argumentum, ut vix liceat hunc in ipsis etiam verbis poetae ac declamatoris consensum pro fortuito habere; atque idem fere iudicium ferendum erit de simili quodam in argumento fere eodem consensu ab Ungero (em. Hor. p. 72) adnotato, Hor. c. III 11, 22 sq. 'stetit urna paullum Sicca' et decl. XII 28 p. 270 B. 'nostris causis urna iam stetit'. Epodi vero V v. 92 'Nocturnus occurram furor' num recte ascripserit Kellerus decl. CCCXIV locum (p. 623 B.) 'Sunt illa vera, quae extremo miseri spiritu dicebantur: dabis mihi, scelerate, poenas, persequar usque et occurram', ut ibi Vergilianae memoriae[3]) Horatiana adiungenda sit, multo magis mihi videtur esse ambiguum. At vel hoc incertius id, quod ex Hor. c. III 29 v. 58 sq. 'ad miseras preces Decurrere' ad verba 'ad preces decurrere' decl. CCCLXXVII recte comparandi causa adnotatis a Burmanno ed. suae p. 773 indeque ab edit. lex. Forcell. Germ. s. v. decurrere, ipsa haec verba desumpta esse videntur Ungero[4]). Quae denique ab eodem em. Hor. p. 19 et a Paldamo l. l. praeter ea, quae adhuc recensui, prolata sunt, ea mihi quidem omnino huc non pertinere videntur.

At ut ex his incertae fere originis declamationibus ad scriptores extremae primi p. C. n. saeculi partis redeamus, de Tacito brevi loqui licebit, cuius poetarum studii vestigia aperta atque omnibus nota in promptu sunt; saepissime igitur eum sicut cum aliis eius aetatis poetis, ita etiam cum Horatio comparare licebit[5]), quem magni ab eo aestimatum esse

[1]) Veluti a Meierottone l. l. p. 169; Orellio; Ungero de Valg. poem. p. 396 sq., em. Hor. p. 71 sq.; Kellero.

[2]) Ungerus de Valg. l. l. conferri iubet c. 11 eiusdem decl. exordium p. 284 B. 'Ubi enim non iam divitum privatum est? Parum est proximos aequare terminos et possessiones suas velut quasdam gentes fluminibus montibusque distinguere.'

[3]) V. Aen. IV 384 sqq. 'sequar atris ignibus absens Et, cum frigida mors anima seduxerit artus Omnibus umbra locis adero; dabis improbe poenas.'

[4]) De Valg. p. 397, em. Hor. p. 72.

[5]) Cf. praeter editorum praefationes Bötticher lex. Tac. (Berol. 1830) p. LXLV sqq., de vita scriptis ac stilo Taciti (Berol. 1834) p. 51 sqq.; C. Goebel de poetico Taciti stili colore (Berol. a 1859), ubi satis frequenter Horatii ratio habetur (cf. p. 24; 25, 27; 29; 32; 36); E. Wölfflin commentationum praeclarissimarum de studiis recentioribus in Tacito collocatis alterius phil. vol. XXVI insertae p. 132 sqq.; A. Draeger Syntax u. Stil des Tacitus² § 257 coll. § 259, 4 llque ibi ll. praetereaque passim, qui ipsi Horatio nimias fere ea in re partes videtur adsignare cf. Wölfflinus act. litt. Ienens. a. 1874 n. 43 p. 679.

vel iudicia illa notissima dialogi interlocutoribus c. 20 et 23 tributa ostendunt. Quae si ad solas satiras refert Meierotto l. l. p. 151 sq., ei sententiae nullum fundamentum mihi videtur subesse, cum c. 20 apertissime non singulorum poetarum ibi nominatorum singula opera, sed universae eorum personae designentur; neque id aliter se habere altero loco, ubi Lucilio opponitur Horatius, probat huic poetarum pari iuncta Lucretii et Vergilii inter se collatio. Cum vero apud Tacitum 'creberrimae sint quas barbare vocamus allusiones' — Doederlini verbis utor[1]) — 'innumeras' fere, ut idem ait, Vergilii 'locutiones' agnoscas apud Tacitum, perraro vero locorum Horatianorum memoria haud ambigue suscitatur[2]). Quo non dubito cum Vahleno prooem. ind. schol. aest. univ. Berol. a. 1878 p. 6 n. referre locum ex eodem dialogi capite 23 petitum, cui alterutrum de Horatio iudiciorum inesse cum maxime diximus, 'rhetorum nostrorum commentarios fastidiunt, oderunt' ('et oderunt', voc. 'et' sup. lin. add., cod. Perizon.) conferendum cum Hor. epp. II 1, 22 'fastidit et odit'. Ex altero epistularum loco (I 4, 12 'Inter spem curamque, timores inter et iras') Draegerus l. l. p. 118 et Heraeus in adn. ad Tac. hist. II 2 derivant dictionem 'inter spem metumque', bis a Tacito in historiis usurpatam (l. l. et IV 59, ubi 'inter spem metumque ac pudorem' legitur[3])), quam ipsissimam a Livio peti potuisse docet Wölfflinus act. litt. Ien. l. l.; mihi vero omnino vix videtur ad originem aliquam, ut ita dicam, litterariam referenda esse. Multo probabilius a vv. dd.[4]) carminum I 37 v. 9 'contaminatorum cum grege' adfertur ad ann. XV c. 37 'uni ex illo contaminatorum grege', nec fere minus probabiliter Paldamus l. l. et Holderus apud Wölfflinum l. l. alterum locum, ex libris annalium posterioribus petitum (XI 15 'laeta in praesens omnia') cum altero carminum Horatianorum loco (II 16, 25 'laetus in praesens') videntur composuisse. Satirarum quoque Horatianarum memoriam aliquam Orellio et Paldamo l. l. p. 15 Tacitus prodere videtur ann. III c. 24 'D. Silanus, in nepti Augusti adulter' coll. sat. I 2, 64 'Villius in Fausta Sullae gener'; satis facete hic praeterea '[ann.] II 5 'equos mercantur' = s. I 2, 86 'ubi equos mercantur', cuius versus priore parte 'mos est regibus'[5]) usus est ann. XII 47'. At hoc sane dubium manebit, etiamsi apud Tacitum locus prior inventus fuerit, ubi 'equos mercantur' legatur, quae verba l. a Paldamo indicato non magis inveniuntur quam 'intermissae libidines' hist. IV 47[6]). Reliqua ab eodem Paldamo p. 15 sqq. prolata non affero, quia partim irrita

---

[1]) Praef. ed. Tac. II p. LVI cf. p. LVI sq.

[2]) Quid A. Dupré proferat, quem libelli inscripti 'dialogum de oratoribus nec Quintiliano nec cuivis alii, sed Tacito adiudicandum esse' (Caleti 1848) part. IV c. 3 p. 44—52 de iis, quae inter Horatium et Tacitum obtineant rationibus disputasse olim in schedulis adnotavi, iam dicere nequeo.

[3]) Similiter 'inter metum et iram cunctatus' ann. II 66; 'inter pudorem et iram cunctatus' ibid. XIV 49, alia v. in Nipperd. ad lib. XI c. 10 adn.

[4]) Doederlino praef. ed. Tac. II p. LVII; Orellio; Paldamo l. l. p. 15; Wölfflino; Draegero; aliis.

[5]) Sic Tac.; Horatius 'Regibus hic mos est'. Si re vera alter locus alterum spectaret, a principio fere actum esset de Ad. Kiesslingii coni. 'Thraecibus' (s. alio gentis alicuius nomine) prolata ann. phil. 103,640 sqq.

[6]) Quem l. cum c. III 6, 27 compositurus ipse Paldamus adnotat, sibi iam 'impermissas' ibi scribendum videri. Frustra quaesivi locum, enucleaturus, num aliquam cognationem cum Hor. c. IV 1, 1 haberet 'Intermissa Venus diu Rursus bella moves?', ita ut Tac. 'Intermissa' ibi ad deae nomen, non ad bella retulerit.

mihi videntur[1]), partim omnino huc non pertinent. Id addo, recte me quidem iudice a Rudolfo Koepke, homine erudito ac sagaci, negari[2]), carm. Horatiani III 24 v. 9 sqq., quibus Getarum vita moresque vividis coloribus depinguntur, a Tacito ad similes in Germ. c. 18 sq. et 26 descriptiones esse adhibitos.

Flori historiarum duo loci ad librum carm. Horatianorum tertium pertinentes adnotati sunt, II 21, 3 'patriae, nominis, togae, fascium oblitus': Hor. carm. III 5, 10 sq. 'Anciliorum et nominis et togae Oblitus aeternaeque Vestae', et II 9, 5 'non civicam modo, sed hostilem quoque rabiem supergressum': carm. III 24, 25 sq. 'O quisquis volet impias Caedes et rabiem tollere civicam', dum tertium (I 16, 5) ad lectionem Horatii carm. II 6, 18 sq. stabiliendam a Kellero et Luc. Müllero (praef. ed. Hor. a. 1869 p. XXIII) acciri video.

Cui si Flori poetae et rhetoris, a nonnullis pro uno eodemque habiti et certe illius fere aequalis, fragmentum 'Vergilius orator an poeta' adiungimus, locus a Kellero ad epp. Hor. II 1, 126 adnotatus me quidem iudice non ita comparatus est, ut imitationis directae testimonium praebeat.

His addo aetatis incertae, sed ad alteram fere saec. I p. C. n. partem aut ad s. II pertinentes suasorias duas Pseudosallustianas ad Caesarem senem; de rationibus autem, quae inter eas atque Horatium obtinent, Carolum Schenkl in act. gymn. Austr. a. 1871 p. 669 attulisse satis habeo. Non abs re denique erit hoc loco Plutarchi mentionem facere. Is ex Romanis poetis unius Horatii nomen protulit (vit. Lucull. c. 39 extr.), argumentum epp. lib. I 6 v. 40 sqq. enarrans[3]).

Iterum non ad eum finem perveni, quem hac commentatione assecuturus eram; inter scribendum enim desiderium cooriebatur, non modo materiam in usum aliorum coacervandi, sed etiam addendi quid ipse sentirem de iis, quae parata haberem, quamvis plena atque absoluta non essent. Sed iam nunc dicere licebit, per alteram quoque saeculi primi p. C. n. partem atque per Traiani imperium carmina Horatiana, etiamsi non tam frequenter quam Vergiliana, perpetuo tamen lectitata esse atque hoc sine ullo fere discrimine aeque ad odas quam ad reliqua carminum genera pertinere. Studiorum vero non minus continuorum, quae per insequentia saecula in carminibus Horatianis collocata sunt, enarratio, imitationis Horatianae potissimum ratione habita, proximo prooemio reservanda est, quo iam ad medium quod vocatur aevum nos deductum iri spero.

---

[1]) Ann. XII 58 'Romanum Troia demissum et Iuliae stirpis auctorem Aenean' magis ad Verg. (Aen. I 288 'Iulius an magno demissum nomen Iulo'), quem et ipsum affert Paldamus, spectare censuerim quam ad Horatii locum, una cum illo iam a Marquardtio in Jahrbb. f. wsch. Kritik 1843 II 54, 425 indicatum, sat. II 5, 62 sq. 'iuvenis, Parthis horrendus, ab alto Demissum genus Aenea'. Quamvis fatear σεμνότατον illud 'Romanum Troia demissum' mihi ipsissimum Ennium redolere videri, etiamsi sane alia eiusdem vestigia eaque certiora ad versus hodie superstites pertinentia apud Tacitum inveniri non potuerint.

[2]) Deutsche Forschungen (Berol. 1859) app. I p. 209 sqq. v. imprimis p. 213.

[3]) Si ad epp. I 16, 78 Kellerus adnotat, versum Baccharum Euripidearum, qui ibi ab Horatio adhibitus est, etiam in loco aliquo Plutarcheo afferri, hoc certe in testimoniis Horatianis ab eo collocari non debebat, cum quin ipso Euripide hic, ut saepe alibi, Plutarchus usus sit, dubitari nequeat.

ORDO THEOLOGORUM EVANGELICORUM.

IULIUS FERDINANDUS RAEBIGER, Dr. P. P. O. h. t. Dec. Publice I. *Exercitationes in interpretando V. T. instituendas* moderabitur d. Sat. h. IX et X. Privatim II. *Encyclopaediam theologicam* docebit d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. IX. III. *Genesin* interpretabitur quinquies per hebd. h. X.

EDUARDUS MEUSS, Dr. P. P. O. Publice I. *Exercitationibus catecheticis in seminario practico instituendis* praeerit d. Merc. h. XI. II. *Exercitationes ad theologiam systematicam spectantes in seminario theologico* moderabitur d. Iov. h. III. Privatim III. *Theologiam symbolicam* docebit quinquies per hebd. h. IX. IV. *Theologiae practicae partem alteram, quae est de cultu Dei publico ac de regimine ecclesiae,* tradet quinquies per hebd. h. X.

WOLFGANGUS FRIDERICUS GESS, Dr. P. P. O. Publice I. *Exercitationibus homileticis in seminario practico* instituendis praeerit d. Ven. h. III. Privatim II. *Ethicen theologicam* tradet quinquies per hebd. h. XI. III. *Theologiam Novi Testamenti* docebit quinquies per hebd. h. XII.

FRIDERICUS GUILELMUS SCHULTZ, Dr. P. P. O. Publice I. *In seminario regio exercitationes in N. T. interpretando* moderabitur d. Merc. h. V et VI. Privatim II. *Evangelium Ioannis* interpretabitur quinquies per hebd. h. IX. III. *Psalmos* interpretabitur quinquies per hebd. h. X.

GEORGIUS LUDOVICUS HAHN, Dr. P. P. O. Publice I. *Apocalypsin Ioannis* interpretabitur d. Merc. h. VIII, d. Sat. h. VII et VIII. Privatim II. *Evangelium Matthaei* interpretabitur quinquies h. VII. III. *Vitam Iesu Christi secundum quattuor evangelia* narrabit d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. VIII.

HERMANNUS WEINGARTEN, Dr. P. P. O. Publice I. *In seminario regio exercitationes ad historiam ecclesiae pertinentes* moderabitur d. Mart. h. IV et V. Privatim II. *Historiam ecclesiae medii aevi* docebit quinquies per hebd. h. XI.

CHRISTIANUS FRIDERICUS DAVID ERDMANN, Dr. P. P. O. hon. Negotiis ecclesiasticis impeditus scholas non habebit.

LUDOVICUS LEMME, Theol. Lic. Privatim. *Epistulas a Paulo ad Corinthios datas* interpretabitur d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. XII.